





PECCATVM  
 IN  
 SPIRITVM SANCTVM

AD  
 SACRA PENTECOSTES  
 PIE CELEBRANDA  
 IN ACADEMIA IENENSI  
 PROPOSITA  
 COMMENTATIO  
 SEPTIMA.

LITTERIS IOANNIS FRIDERICI SCHILL.

ex quibus  
cognitio

in etum, si  
virtutis  
constituit:  
niciofam  
nt, quia,  
m tamen  
pi malo-  
sanctum  
apostolus  
am eum  
nfectari:  
n feodus  
se haud

dicenda  
tempus  
inerum,  
in chri-  
a vobis  
um ille-  
attente  
tationes  
nissimi  
iternam  
vt vobis  
illis con-  
umenta  
ccclvi.  
w haben-



DEI GRATIA  
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGA-  
RIAE ET GVSTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE  
MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE  
HENNEBERGIAE COMES MARCAE ET RAVENSBER-  
GAE DYNASTA RAVENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMVS  
SPIRITVS SANCTI GRATIAM

PRECATVR

C I V I B V S.

**A**D reformatorum sacrorum doctores adiungimus arminianos; siue remonstrantes, eo quoque consilio, vt adpareat, quid et hi de peccato in spiritum sanctum stant. Initium facimus a IACOBO ARMINIO, familiae huius auctore. Qualis sit ratio ac natura dicti peccati, is ita edisserit: *dicimus, peccatum in spiritum sanctum perpetrari, quum quis diuinae veritati et quidem euangelicae, cuius fulgore sic perstringitur, vt ignorantiam caussari nequeat; tamen destinata malitia resistit, in hoc vt resistat. Quod peccatum non ideo in spiritum sanctum dicitur, quod non sit in patrem et in filium, quomodo enim non peccet in patrem et filium, qui in spiritum vtriusque peccat? sed quia aduersus operationem spiritus sancti, conuictionem nempe veritatis per miracula et mentis illuminationem committitur.\** Recte adfirmat ARMINIVS, peccatum in spiritum sanctum contra scientiam: destinata malitia: non contra personam; sed officium atque operationem spiritus sancti fieri, quae omnia sane vera sunt. At vero quum addit, peccari in spiritum sanctum aduersus conuictionem veritatis per miracula, peccatum hoc adstringere videtur ad tempora, quibus christus in his terris vitam degit ac maiestatem suam veritatemque doctrinae miraculis comprobauit; ei autem iudaei mali-

\* *disputat. publicar. num. viii. p. 245. eiusdem oper. theologico.*

malitiose ac præfracte restiterunt, hocque modo terminos peccati in spiritum sanctum iusto angustiores ponit. Id enim et hodie committi potest et omnino committitur, licet hominibus nulla miracula ante oculos versentur. Sique etiam *mentis illuminationem*, cuius mentionem ARMINIVS statim subiungit, a *conuictione veritatis per miracula*, tamquam diuersam speciem; siue partem distinguamus; nec existimare velimus, istam vberioris explanationis causâ adiunctam esse; peccatum tamen in spiritum sanctum, vbi quæstio est de illius natura, in se ac generatim explicanda, minime ad miracula se refert. Immo ARMINIVS, quum exhibet peccati huius definitionem, omittit, quod ad essentiam eius maxime pertinet, idque, gratiam spiritus sancti conuertentem vsque ad vitæ finem spernendam esse, quia sine perpetua contumtione nulla criminis huius adcusatio locum habet; nec licet, iudicare, num quis in spiritum sanctum peccauerit; nec ne, antequam ille mortalitatem suam finierit. Mirum igitur non est, ARMINIVM nec causam recte explicasse, cur nulla noxæ huius venia expectanda sit, atque existimasse, rationem in voluntate dei positam esse, vtpote qui peccatorem huiusmodi, omni gratia indignum, respuat. Ita enim scribit: *deus illum, qui tam horrendum flagitium perpetravit et spiritum gratiæ contumelia adfecit, prorsus indignum æstimat, cui conuertendo suam benignitatem et eiusmodi spiritus sancti operationem occupet, ne vilem illam habere videatur et ipse homine peccatore: immo tanto peccatore indigere.* Alibi \* eadem profert atque argumentum de peccato in spiritum sanctum copiosius enarrat.

Inter Arminii adseclas SIMONI EPISCOPIO, veluti eorum principi, primum locum adsignamus. Eos proxime ad veritatem accedere, putat, qui peccatum in spiritum sanctum absoluti, statuant, aut in *directa, aperta et contumeliosa miraculose istius distributionis visibilibus spiritus sancti donorum, quæ per spiritum sanctum in pentecostes festo facta fuit, ad confirmandum,*

A 2

\* epistola ad Ioann. Vycenbogardum, virorum epistolis ecclesiasticis et theologicis præstantium ac eruditiorum num. XLV. p. 89.

armi-  
vt ad-  
um sta-  
huius  
edisse-  
m quis  
erstrin-  
malitia  
spiritum  
uomodo  
triusque  
conuictio-  
em con-  
n spiri-  
a contra  
fici fieri,  
peccari in  
er mira-  
quibus  
a verita-  
n iudai  
mali-

*dam, iesum in caelo regem esse constitutum, et euangelium doctrinamque eius veluti diuinam in caelo adprobatam esse, reiectione; aut in directa, aperta et contumeliosa miraculose iesus et sanctissima virtutis, quam christus, in terra adhuc versans, exerebat variorum adeoque innumerorum miraculorum patracione, inter quae etiam erat ipsa demoniorum impurissimorum et inuitissimorum spirituum e corporibus hominum eiectione, quae sanctissima virtutis diuinae indicium erat, abnegatione, coniuncta cum insigni nullaque prorsus verosimili ratione nixa ac proinde malitiosa plane ac praepostera blasphemia.\** Posteriores sententiam EPISCOPIVS priori praefert; sed utramque falsam esse, haud difficile intelligere possumus. Quis persuadeat sibi, fieri peccatum in spiritum sanctum, ubi mirifica munera, a spiritu hoc in legatos christi collata, reiciantur. Certe si quis hoc adfirmaret, sequeretur ex eo, ut, antequam spiritus sanctus tempore pentecostes in apostolos effusus sit, peccatum in istum nullum locum habuerit, id quod aperte falsum esset. Constat enim auctoritate scripturae sacrae, christum pharisaeos peccati in spiritum sanctum arguisse. Similiter et ii, atque in his EPISCOPIVS, de recta via desectunt, qui opinantur, committi peccatum hoc, quando christi opera, supra naturae leges posita, oppugnentur, atque illud non ad spiritum sanctum; sed ad christum referunt. Seruator noster peccata in filium hominis atque in spiritum sanctum expressis verbis discernit ac pronuntiat, illud; non hoc veniam consequi posse, quemadmodum antea monuimus. Quae quamuis satis sint luculenta ac vera; EPISCOPIVS tamen alio loco \*\* itidem tradit, peccatum hoc contra christi miracula, ac quae ex iis eluceat, virtutem diuinam patrari: blasphemiam in spiritum sanctum inquit, est conuicium, quo spiritus ille dei sanctus, qui in iesu christo erat, tanquam impurus et diabolicus spiritus impetitur, ita ut quod vi pure pute diuina; siue a deo christo inspirata, sit, diabolo tanquam auctori tribuatur.

Nec

\* responsione ad LXIV. quaestiones,  
quaest. XLV. tom. I. oper. eius part. 2. p. 13.

\*\* not. in Matthaeum, tom. II. oper.  
part. I. p. 74.

Nec, si ad rem ipsam respiciamus, STEPHANVS CVRCELLAEVS dissentit. Distinguit ille inter peccatum et blasphemiam in spiritum sanctum hancque de ea malitia interpretatur, qua miracula christi, virtute diuina edita, diabolo tribuantur, ac quum pro expositione hac nullum conuicium spiritui sancto fieri potest, nisi miracula ante oculos posita sint, colligit ex eo, hodie vix quemdam in culpa peccati huius esse. Patet id ex iis, quæ litteris mandata reliquit, hoc modo: *ex quibus verbis, seruatoris apud euangelistas, aliud elici non potest, quam christum reos blasphemie in spiritum sanctum habuisse phariseos, eo quod miracula, quæ ipse spiritus sancti, in se habitantis, virtute patrabat, non vererentur, ad beelzebub principem demoniorum, tanquam auctorem, referre. Vnde thesis ista generalis formabitur: quicumque diabolo tribuunt miracula, quæ non nisi virtute dei fieri posse, constat, illi blasphemant in spiritum sanctum.\** Fallam esse sententiam hanc, iam monstrauius. Nunc id tantum adnotamus, nullam firmiorem esse causam, cur CVRCELLAEVS velit, vt peccatum in spiritum sanctum studiose a blasphemiam in illum distinguatur. Quamuis enim vere scribat, multa peccata committi in spiritum sanctum, quæ blasphemiam in eum adpellari non debeant; attamen sciendum est, blasphemiam etiam esse peccatum ac constituere singularem illius speciem; hanc autem propter grauitatem suam simpliciter vocari peccatum in spiritum sanctum. Quæ subiungit: *summam, blasphemiam hæc in spiritum sanctum vix locum habere videtur alio tempore, quam quo miracula a seruis dei, extraordinarie missis, patrantur, ac proinde nemini hodie, quo donum istud cessauit inter christianos, obiciendum esse, ea continent consequentiam falsi principii, ob sola miracula contumeliam spiritui sancto imponi posse.* Non plane quidem a vero discedunt, quæ apud ipsum sequuntur verbis his: *si tamen aliquod sit peccatum, quod in eundem censum referri debeat, videtur hoc solum esse, quum quis veritatem euangelii cognitam ex mera animi malitia impugnat, quod sane horrendum esse scelus et omni venia indignum, nemo bonus,*

A 3

\* institution. religionis christiana libr. vii. cap. 35. p. 573 oper. eius theolog.

*nus dubitat; an tamen sit illa proprie dicta in spiritum sanctum blasphemia, de qua dominus iesus loquitur, controuerti potest.\** Sed vi CVRCELLAEVS dubitanter loquitur; nec pro certo adfirmat, maliciosam oppugnationem cognitæ doctrinæ euangelicæ esse blasphemiam; siue peccatum in spiritum sanctum; ita ad hoc requiritur, vt quis contra veritatem, diuinitus patefactam, pugnet, ac licet conscientia illius sit conuictus; in hac tamen malitia per omnem vitam permaneat. Qui enim non vsque ad mortalitatis finem veritati ac gratiæ spiritus sancti conuertenti resistit, ille resipiscere atque ad deum redire potest, antequam e vita abeat; ideo autem haud reus declarandus est peccati in spiritum sanctum.

Eadem de peccato hoc PHILIPPVS A LIMBORCH proponit dicitque: *blasphemia hæc in spiritum sanctum nobis designare videtur eiusmodi peccatum, quo opera miraculosa, a seruatore nostro virtute spiritus sancti patrata, adscribuntur diabolo; quum tamen illi, qui ea ita blasphemabant, aut persuasi essent, non posse talia, nisi virtute diuina, fieri; aut saltem nulla experientia; aut argumento verisimili id euincere possent.\*\** Ita sequitur quidem EPISCOPIVM et CVRCELLAEVM; nec eos tantum; sed etiam alios, antiquioris pariter ac recentioris ætatis; duces autem elegit, qui non rectam viam monstrant. Quum enim per *spiritum sanctum*, de quo christus *Matth. XII, 31. 32.* loquitur, diuinitas christi; siue diuina virtus, ab eo per miracula probata, non aliter; nisi per vim, qua seruatoris verba ad peruersam sententiam trahuntur, intelligenda est: quum christus se, tanquam filium hominis, a spiritu sancto distinguit: quum ille *filius hominis* adpellatur, vt persona, quæ verus deus ac verus homo est: quum expresse pronuntiat, peccatum in filium hominis condonari posse; minus autem id, quod in spiritum sanctum fiat, rationes hæc luculenter ostendunt, peccatum in spiritum sanctum non spectare ad miracula christi. Eam ob rem errat quoque LIMBORCHIVS, quando cum CVR-

CEL-

\* *ibidem* p. 574.\*\* *theolog. christian. libr. v. cap. 4.*  
§. 26. p. 395.



CELLAE scribit: *unde liquet, peccatum hoc vix nunc locum habere posse. Licet enim dominus iesus, cuius doctrina vt diuina agnoscitur, nunc proprii compendii causa blasphemari possit; tamen dubitari potest, vtrum hæc eadem sit blasphemia cum illa, qua miracula, quæ videntur, quæque fulgore suo oculos præstringunt, spiritui impuro adscribantur, quum miracula lecta et audita non perinde animum conuincant, atque coram oculis conspecta, quia omnia hæc, euerfo fundamento, quo illa nituntur, facile corruunt, quemadmodum iam animaduertimus. Causam, cur peccati in spiritum sanctum nulla venia exspectanda sit, in noui foederis legibus positam esse, idem putat, quippe quæ impediunt, quo minus id condonetur; sed etiam minus recte hoc statuit, quum potius conditio illius, qui in spiritum sanctum peccat, omnem veniam tollit. Ea enim ita comparata est, vt iste haud desinat, gratiam spiritus sancti adspernari, atque ideo numquam ad veram poenitentiam ac fidem in christum adduci queat.*

Qui inter celebres arminianorum doctores itidem locum obtinet, ADRIANVS A CATTENBURGH, postquam varias sententias de peccato in spiritum sanctum percensuit, quæ ei peruersæ videntur, ad LIMBORCHII descriptionem progreditur eamque veritati maxime consentaneam esse, iudicat; ipse autem ad peccatum in spiritum sanctum, cuius in christi sermone *Matth. XII, 31. 32.* mentio fit, alia peccata adiungit atque eiusdem atrocitatis illa esse, existimat, licet blasphemix nomine haud notanda sint, qualia committant, qui *deo non credant ac mendacem faciant eum, 1. Ioan. V, 10.* qui dicant *deo: abi hinc: tuas quidem nosse vias, nobis non libet, Job. XXI, 13. 14.* qui veritatem iniuste supprimant, *Rom. I, 18.* qui a christo eiusque doctrina deficient, quum illam adhuc professi fuissent. Præter hos, in censum eiusmodi peccatorum refert CATTENBURGH nonnullos antiquiores hæreticos, nominatim marcionitas et manichæos, eam ob causam, quoniam illi, mundum hunc, locupletissimum maiestatis diuinæ testem, mali damo-

nis.



nis opus vocare, impudenter atque impie conati sint.\* Sed tamen, quæ ita CATTENBURGH tradit, ea neque adcurata sunt; neque distincta. Peccatum enim in spiritum sanctum speciem esse noxarum plane singularem atque ab omnibus aliis diuersam, ex effato christi abunde patet, quum dicit: *omne peccatum ac maledictum ignoscetur hominibus; at maledictum aduersus spiritum non ignoscetur. Et si quis quid dixerit contra filium hominis, ignoscetur ei; at si quis contra sanctum spiritum dixerit, non ignoscetur ei nec in hoc seculo; nec in futuro, Matth. XII, 31. 32.* Verbis his seruator peccatum in spiritum sanctum ab omnibus aliis peccatis plane atque aperte distinguit ac horum; non autem illius, veniam impetrandam esse, testatur, ex quibus recte conficitur, peccatum in spiritum sanctum eius esse conditionis, vt sit vnicum; nec plura ac diuersa illius genera constitui possint. Quæ et CATTENBURGH recenset, eorum non talis est natura, qualem præ se habet peccatum in spiritum sanctum, quia, qui istis se contaminant, ita peccant, vt meliorem mentem recipere queant ac pristinx gratiæ diuinæ participes fieri.

Non prætereundus est HUGO GROTIUS, quem ad arminianos se adiunxisse ac causam illorum egisse, constat. Interpretatur is oraculum christi de peccato in spiritum sanctum itidem de eorum crimine, qui etsi cognouerint, miracula christi virtute spiritus sancti; siue diuina effici; ista tamen pessimo genio, veluti auctori, adtribuerint. Per *filium hominis* intelligit quemuis hominem, vna cum christo ipso, ac putat, seruatorem significare voluisse, satis graue esse delictum, quando innocens homo contumeliis laceretur; multo grauius autem, si quis audeat, ipsius dei opera calumniari. Quod christus de peccato in spiritum sanctum bis ac simpliciter enuntiat: *ἐν τῷ Πνεύματι ἁγίῳ*, id GROTIUS cum aliis exponit de difficultate, deum sibi reconciliandi.\*\* Cuncta hæc a vera sententia eorum, quæ christus de peccato in spiritum sanctum protulit, longe distare, ex antea dictis haud difficulter colligendum est.

Armi-

\* spicileg. theol. christian. Philipp. a Limborch, libr. IV. cap. 4. §. 14. p. 478.

\*\* adnotationib. in Martheum XII, 31. 32. tom. II. oper. theolog. p. 130.

Arminianos dimittimus ac pergimus ad Socinianos. Qui in his post LAELIVM SOCINVM, auctorem sectæ huius, principatum tenet, FAVSTVS SOCINVS peccatum in spiritum sanctum explicat de calumnia, qua pharisæi, non ex ignorantia; sed per summam malitiam atque inuidiam, criminati sunt, christum vi principis dæmonum; non propria virtute diuina, malignos spiritus ex hominibus eiecisse. Consentit igitur in definienda peccati huius natura cum multis aliis, quorum antea mentionem fecimus; simul autem ostendimus, eos a recta aberrare via. Negat, illis, qui contra spiritum sanctum peccant, omnem spem veniæ accipiendæ ademptam esse, ac statuit, locum omnino habere penitentiam hæcque si seria sit, pristinam dei gratiam recuperari. Ab ipso peccato hoc distinguit crimen, quum quis cognitæ veritati cælesti repugnet ac resistat, hocque grauius esse blasphemia illa in spiritum sanctum, de qua christus loquatur, adfirmat. Verba eius sunt: *verum diuinæ agnitæ veritati reluctari, videtur omnino, eiusmodi esse peccatum, vt non remittatur. Nam præter diuina testimonia, quæ videntur indicare, non remitti reluctance, vt sic loquar, diuinæ veritati factam, nisi illa per ignorantiam fiat, obseruatum est, non dari exemplum vllum hominis, qui respuerit, postquam agnitæ veritati diuinæ serio fuerit reluctatus, adeo vt, si interpretatio nostra attendatur illius pronuntiatum domini iesu, quod blasphemia in spiritum sanctum non remittatur, necesse esse videatur, non modo par; sed grauius esse peccatum hoc, quam blasphemia illa in spiritum sanctum, de qua christus loquebatur. Quandoquidem interpretatio nostra fert, vt christi pronuntiatum istud sit accipiendum cum tacita conditione. nisi videlicet is, qui ita blasphemauerit, respuerit; siue peccati sui seriam penitentiam egerit. Addit, repugnantiam ea quoque de causa grauius esse peccatum blasphemia, quia non fit, vti hæc, vnus tantum peccandi actus, ac quibusdam interpositis: vnde dici possit, christum reluctance, quæ diuinæ veritati fiat, adpellatione blasphemie in spiritum sanctum complexum non fuisse, quum vt sæpius repetimus, ipse sine dubio de actu vno blasphemandi in spiritum sanctum loquatur; non autem de persistendo in tali blasphemia.*

B

pbemia.

*phemia.\** Quæ ita SOCINVS edisserit, ea longe remota esse a mente, quam christus in effato de peccato in spiritum sanctum declarare voluit, argumenta non leuioris momenti comprobant, a nobis iam proposita. Minime peccatum hoc ad miracula christi respicit, vti iterum atque iterum monuimus, quoniam seruator peccatum in filium hominis a peccato; siue blasphemia in spiritum sanctum distinguit. Illud neutiquam condonari posse, christus absolute pronuntiat; de omnibus autem aliis noxis contrarium addit ac docet, deum eas ignoscere, hocque ipsum ostendit, nullum fieri peccatum, quod eo sit grauius, ac peccatum in spiritum sanctum esse vnicum, cuius nulla venia obtineatur.

Quando apostolus *ebr. VI. 4.* scribit, esse *ἀδύνατον*, eos *πάλιν ἀνακαινίσξιν εἰς μετάνοιαν*, qui postquam in gratiam diuinam restituti fuerint, a deo deficiant, atque idem enuntiat, quod christus de peccato in spiritum sanctum: *ἐκ αὐτοῦ θήσεται*, IO. GRELLIUS vocem *ἀδύνατον* per *difficile* interpretatur ac putat, fieri non posse, vt apostata, et per consequentiam peccator in spiritum sanctum resipiscat ac veniam consequatur, nisi deus singularem gratiam et fauorem erga talem hominem exercent, non solum, ne ipsum induret illiusque conuersioni sese opponat; sed etiam vt peculiari ratione eum adiuet et efficacissima aliqua remedia ad eum conuertendum suppeditet.\*\* Igitur persuadet sibi, conditione quadam relictam esse illi, qui in spiritum sanctum peccet, spem veniæ impetrandæ; hoc autem adfirmando, significat, se veram rationem peccati in spiritum sanctum ignorare. Paullo aliter hac de re commentatur IO. LVDOVICVS WOLZOGENIVS. Explicat ille quidem blasphemiam in spiritum sanctum, pharisæis a christo exprobratam, præcipue de criminatione, qua hostes isti aduersus miracula seruatoris vtebantur; eos tamen etiam huc refert, veluti reos detestandæ blasphemix in spiritum sanctum, qui veritati euangelii, quam agnouerunt, a deo esse et reuelatam per ipsius spiritum; vel resistunt; vel ab eo deciscunt, ita vt

*eant*

\* commentar. in epistolam Ioannis primam V, 16. tom. I. oper. p. 253.

\*\* commentar. in epistol. ad ebr. VI, 4. tom. II. operum eius exegeticor. p. 123.

*eam tanquam falsam doctrinam blasphemant, præsertim si confes-  
sores eiusdem insuper persequuntur.* Argumentum sumit ex apo-  
stoli dicto *ebr. X, 26. sq.* idque recte de peccato in spiritum san-  
ctum intelligit; peccatum autem hoc ipsum non plene definit,  
dum illud in eo tantum consistere, adfirmat, vt quis contra con-  
scientiam agnitæ veritati euangelii resistat; vel ab ea deficiat,  
ac prætermittit, malitiam hanc ad finem vitæ durare debere.  
Ratio, cur hoc omiserit, facile perspicienda est. Existimat enim,  
resipiscentiam ac veniam in peccato hoc difficilem quidem esse;  
vtamque tamen fieri posse ac locum habere, si quis non  
mala mente; sed præcipitantia, metu, perturbatione animi at-  
que aliis rationibus impulsus, propter quas deus pro sua mi-  
sericordia seriam pœnitentiam haud spernat, peccatum hoc  
committat.\*

Præter nunc commemoratos socinianos, adducendus est  
**DANIEL BRENIVS.** Amplectitur ille sententiam, eo tempore,  
quo christus inter mortales versatus sit, neminem; nec, vti ex  
eo consequitur, pharisæos, in spiritum sanctum peccasse; post-  
quam autem illustria spiritus huius munera, præsertim super  
feruatoris legatos, effusa fuerint, eos in culpa criminis istius esse,  
qui sanctissimo spiritui, e cælo misso, contumaciter resistent;  
eum adficiant contumeliis; nec mature de malitia sua doleant:  
*sensus, verborum christi de peccato in spiritum sanctum, in-  
quit, est omne peccatum et blasphemia, etiam quæ aduersus me, in  
terris degentem, admittitur ex incredulitate, hominibus remittentur,  
modo ad ultimam spiritus sancti, a me mittendi, operationem  
tempestiue sese conuerterint. Sed quicumque, quemadmodum nunc  
vos resistitis virtuti diuinæ, per me agenti, spiritui illi, quem e cæ-  
lis a patre mittam, contumaciter resistere ac blasphemare perget;  
nec mature ab hoc peccato resipiscet, quamuis iuxta externas Mo-  
sis; vel naturæ leges vixerit, non remittetur ei, neque in hoc; ne-  
que in futuro seculo.\*\** Quæ interpretationem hanc infringunt,  
ea

B 2

\* commentar. in euangelium Matthæi,  
rom. 1. operum eiusdem p. 289. sq.

\*\* notis in euangelium Matthæi, quæ

exstant in eius breuibus in vetus et no-  
uum testamentum adnotationibus, p. 19.

ea a nobis iam denotata sunt. Singulare quid excogitauit SAMVEL PRZICOVIVS. Infituit, oraculum Petri: *sed quatenus christi suppliciorum participes estis, gaudete, 1. epist. IV, 13.* explanare, ac sumit occasionem, sententiam suam de blasphemia; siue peccato in spiritum sanctum declarandi, fieri videlicet illam, vti loquitur, ab impiis et persecutoribus, quando spem et patientiam piorum derideant, et patientiam illam dei, qua custodiantur ad salutem, ignominioso maledicto stultitiam vocent.\* Verum enim vero expositionem hanc reiiciendam esse, quis dubitet? Ne vllam probabilitatem illa præ se habet: immo iis, quæ christus de peccato hoc proponit, aperte repugnat. Differit iste de noxa, cuius nulla venia consequenda est, atque indicat, illam tam nefarium: tam perpetuum studium, spiritui sancto aduersandi, esse, vt nulla conuersio: nulla resipiscentia: nulla fides in christum effici queat. Eiusmodi ratio neutiquam est peccati, quo persecutores spem ac patientiam piorum derident: quo dei facilitatem ac lenitatem maledictis insectantur.

Quanta sit spiritus sanctissimi maiestas: quanta eius dignitas, monstrat vobis, CIVES, scriptio hæc, ac quum memoria illius, super seruatoris legatos largiter effusi, nunc in cœtibus nostris sacris celebranda est, simul vos admonet, vt tempus hoc festum pie ac religiose peragatis ac per gratiam cælestem omnia sedulo curetis, quæ ad sempiternam salutem impetrandam pertinent; nec liberalitatem erga sacerdotes nostros negligatis, quam grata ac laudabilis postulat consuetudo. P. P. primo pentecostes die anni salutis reparatæ MDCLLVII.

\* *cogitationibus sacris in epistolas apostolicas, p. 312.*

(L.S.)

00 A 6359

ULB Halle  
002 916 746

3



VD 18


W 17

Retrow









B.I.G.

Farbkarte #13

55

CATVM  
IN  
M SANCTVM

AD  
PENTECOSTES  
CELEBRANDA  
DEMIA IENENSI  
PROPOSITA  
UMENTATIO  
SEPTIMA.

ANNIS FRIDERICI SCHILL.

